

## PRAEFATIO.

PAUCA sunt, quae de instituto meo, et de hac Promethei Aeschylei editione praefari velim: ratio enim operis reddenda est, et quid efficere conatus sim, exponendum. Operam dedi, ut haec fabula ea forma prodiret, quae tironibus maxime accommodata esset, easque difficultates, quibus juvenes terreri solent, complanaret, et, quantum fieri potest, enodes redderet. Quicquid in Aeschylo salebrosi est, id omne fere oritur ex linguae insolentia, non autem ex perplexa verborum constructione, aut ex reconditis sententiis. Multa enim apud eum reperiuntur vocabula, ex ultima antiquitate repetita, multaeque dictiones ac formulae loquendi, quas frustra alibi quaeras, et quarum in lexicis vulgaribus aut nulla mentio fit, aut jejuna saltem atque exilis. Mihi igitur visus sum gratiam cum tironibus initurus, si opus susciperem, molestius illud qui-